



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XII. De Ordinando Officio ex Prædictis Rubricis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

Paschæ, & Ascensionis Christi, quæ æqualibus Duplicibus in concursu præferuntur.

## TITULUS XII.

### DE ORDINANDO OFFICIO EX PRÆDICTIS RVBRICIS.

I. **S**I quis velit ex supradictis Rubricis ordinare Officium occurrentis diei, videat in Kalendario, & in Tabula Festorum mobilium, *u.* de quo fiat Officium sequenti die, & ut invenerit esse faciendum, sic ordinabit illud in Vesperis.

*v.* Quæ immediatè ante Kalendarium in Breviario posita est, & Tabula Temporaria Festorum mobilium vocatur, eò quòd ibidem indicetur pro singulis annis subsequenter, quo mense & die Festa quædam nulli certo mensi aut diei mensis affixa, puta Septuagesima, Dies Cinerum, Pascha, Ascensio, Pentecostes, Festum Corporis Christi ponantur.

II. Si ordinandum Officium sit de Tempore, id est, de Dominica vel Feria, recurrendum est semper ad Psalterium, ubi ordinatè ponitur, quod est commune Officij de Tempore, cum distributione Psalmorum; & ad Proprium de Tempore, ubi Lectiones & Responsorialia, quædam Antiphonæ & Orationes ponuntur, quæ desunt in Psalterio. Invitatorium, Hymni, Capitula, Versus, Responsorialia Brevia, & Antiphonæ, quæ diversis temporibus ponuntur in Proprio, dicuntur loco eorum, quæ sunt in Psalterio: *x.* cum verò Propria non fuerint, dicuntur, ut in Psalterio.

*x.* Unde hoc Proprium dicturo Officium, ab initio statim inspiciendum erit, nisi aliunde ipsi certò constet, nihil ibi Proprium contineri.

III. Si Officium sit ordinandum de Sancto, recurrendum est semper ad Commune Sanctorum

(nisi Proprium habeat in Proprio Sanctorum ubi pro qualitate *a.* Festi, si novem Lectionum est, Duplex vel Semiduplex fuerit, omnia ordinantur, illis exceptis, quæ propria suis locis ponuntur. Si Festum fuerit trium Lectionum (Nocturno Feriæ & Lectionibus *b.* exceptis) omnia sumuntur de eodem Communi. Tres Lectiones primi Nocturni in Officio novem Lectionum, & prima & secunda Lectio, vel prima tantum in Officio de Tempore, nisi alia in Propriis locis ponantur. *c.*

*Z.* Quod proin similiter ante omnia post Kalendarium inspiciendum est.

*A.* Id est, dignitate; & eo ordine, qui in Litanij Memorabilibus observatur.

*B.* Quæ ex Psalterio & Proprio de Tempore sumendæ sũt.

*C.* Uti in Vigiliis maximè contingit.

**IV.** In majoribus Solemnitatibus & Festis per annum, totum Officium ordinatur, ut in propriis locis ponitur. *e.*

*E.* Id est, Festa Domini in Proprio de Tempore; Festa Sanctorum verò (illis, quæ infra Octavam Nativitatis ponuntur, eò quòd ordinarias leges non sequantur, exceptis in Proprio Sanctorum.

**V.** In Festis B. MARIÆ (omissis illis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, alia quædam requirenda sunt ex Communi Officio parvo, circa finem Breviarij.

**VI.** Modus inchoandi Officium, dicendi Invocatorium, Hymnos, Antiphonas & Versus, habetur in principio Psalterij. Cùm verò Antiphonæ duplicandæ sunt, dicuntur integræ ante Psalmum sicut in fine Psalmi.

VII. M.

VII. Modus dicendi Absolutiones & Benedictiones ante Lectiones, legendi & terminandi Lectiones, dicendi Responsoria post Lectiones, Responsoria brevia post Capitula, habetur in prima Dominica de Adventu.

VIII. Quomodo sit inchoandum & terminandum Officium per Horas, habetur in Psalterio. f. Quomodo terminandum per Antiphonas B. MARIÆ, habetur in fine Completorij.

F. Excepto casu, quo singulæ Horæ minores privatim dicerentur, tunc enim Hora quævis per Orationem Dominicam terminanda foret, id quod non in Psalterio, sed infra titulo 16. & 32. dicitur.

IX. Sed ut hæc omnia facilius habeantur, positæ sunt sequentes Rubricæ de singulis Horis, earumque partibus distinctè cognoscendis.

### TITULUS XIII.

#### DE MATUTINO.

I. **A**D Matutinum g hæc per ordinem regulariter dicuntur, secundùm diversitatem Officij, nisi aliter in quibusdam diebus h. notetur. *Pater noster*, *Ave MARIA*, *Credo*, omnia secretò. Deinde clarâ voce Hebdomadarius i. dicit: *Domine Labia mea &c.* pollice signando sibi os signo Crucis: *DEVS in Adjutorium* manu extensâ signando se signo Crucis à fronte ad pectus, & à sinistro humero usque ad dextrum (quod servatur in principio k. omnium Horarum, cùm dicitur *DEVS in Adjutorium*) cum *Gloria Patri* & aliis, ut in principio Psalterij. Deinde dicitur Invitatorium conveniens Officio de Tempore vel Sancto l. quod dicitur cum Psalmo *Venite exultemus* eo modo, quo in Psalterij